EX PLINIO.

Florentibus ſuccus exprimit̃,& in æreo uaſe cum melle Attico leniter cinere feruenti decoquitur, ſingulari remedio contra caligines oculorum. Vtuntur & per ſe ſucco in collyrijs, quæ Chelidonia appellantur ab ea. Eadem oculorũ aciem adiuuat, ſi addita aqua foueantur. Succus eius cum melle culices, nubeculas, obſcuritatemq; diſcutit, cicatrices extenuat. Albugines etiam iumentorum.

DE CHELIDONIO MINORE

CAP. CCCXXXII.

NOMINA.

Scrofularia minor cur dicta.

ΧΕΛΙΔΟΝΙΟΝ μικρὸν Græcis, Chelidoniũ minus Latinis, officinis Scrofularia minor uocatur, quod ſtrumoſa radix multis granorum frumenti grumis uideat̃ coaluiſſe: uel quod ſtrumis, quas imitatione græca Scrofulas uocant, medeatur. Germanis Feigwartzen oder Blatternkraut/ id eſt Ficariam, Pfaffenhödlin/ klein Schelwurtz/ oder Schwalbenwurtz/ oder Meyenkraut nominatur. Chelidonium autem hæc herba uocata eſt hauddubiè, quod, ut Theophraſtus lib. vij. cap. xiiij. hirundinũ aduentu florem excitet.

FORMA.

Herbula eſt à ſtolonibus pediculiſue pendens, ſine caule, folijs Hederæ figura, rotundioribus minoribusq;, item teneris & aliquatenus pinguibus. Radices habet paruas multas, ex eodem callo prodeuntes, tritici modo aceruatim congeſtas, quarum tres aut quatuor in longitudinem progrediuntur. Hæc Dioſcoridis deliniatio prorſus herbæ illi quam Scrofulariam minorem uulgò nominant, conuenire uidetur. Nam hæc herbula eſt à pediculis pendens, uidua caule, folijs Hederę, rotundioribus multò minoribusq;, teneris & modicè pinguibus. Radices oſtendit ex eodem callo prodeuntes, paruas, complures in granorũ tritici morem aceruatim collectas, quarum tres uel quatuor in longum protenduntur. Flos ei Ranunculi ut maiori, luteo colore nitens. His accedunt locus, tempora, uires, & alia quæ iam cõmemorabuntur, quæ ſingula Scrofulariæ minori adamuſim quadrant, ut nemo hanc Chelidonium minus eſſe inficias ire ſine magna impudentia poſsit.

LOCVS.

In paluſtribus, prope aquas, & in limitibus humidis, omnibusq; uliginoſis tractibus ac hortis paſsim gignitur.

TEMPVS.

Verno tempore, Martio menſe, & præſertim hirundinũ aduentu floret, nec longo poſt tempore marceſcens euaneſcit, ſic ut irrigui limites, qui largo foliorum florumq; ſtipatu pubeſcebant, confeſtim ijs ſpoliati glabreſcere conſpiciantur.

TEMPERAMENTVM.

Chelidoniũ minus, Galeno teſte, quarti ordinis abſoluti eſt in calefaciendo & deſiccando, ideoq; magnam præ ſe fert acrimoniã, guſtum erodentem. Noſtrum autem uſqueadeo acre non eſt, ut commanducando ſæpe nullam prorſus ſentias acrimoniam, potiſsimum in eo quod humido in loco natum ſit. In hoc autem quod locis ſiccis prouenit, ſenties & amaritudinem & acrimoniam, ſenſim tamen guſtum erodentem.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Acrem uim habet, Anemones modo ſummam cutem exulcerantẽ. Scabiem & unguium lepras tollit. Ex radicibus expreſſus ſuccus ad purgationem capitis addito melle naribus utiliter inſtillatur. Similiter decoctum eius cum melle gargariſſatum, caput ſtrenuè purgat, & omnia pectoris uitia.

EX GALENO.

CHELIDONIVM MINVS.

LEONHART FUCHS *De Historia Stirpium Commentarii Insignes* BASEL, 1542 THE WARNOCK LIBRARY